

ten Pönnen, hæc Celeb. Interpres in præfatione, a qua ipse Eachardus nequaquam dissentit.

§. IV.

Quod vero *Studia hæc Generalia* vel talia sint, ut gradus Doctorum in quavis facultate, aut Licentia eos gradus capeffendi, publica Supremi Magistratus auctoritate concedi non possint, eaque *Collegiorum Illustrium* nomine insigniri soleant; sin autem Gradus ipsi Doctorum aut licentia eos vel omnes vel saltem aliquos, pro ut Summo nimirum placuerit Magistratui, vel Academia, capeffendi publica Supremi Magistratus auctoritate concedi possint, cætus illi & docentium & discantium *Academiarum* nomine salutentur: Academias Scientiarum, utpote non docendæ juventuti, sed provehendis scientiis destinatas (Т Н V M, *Inst. Polit.* §. 150.) nunc non moramur.

Limitationem hanc, vel de omnium facultatum, vel de aliquarum saltem honoribus conferendis addere necesse fuit, ne eos Docentium & Discantium cætus ex Academia numero videremur excludere, in quibus summi honores Academici non in omnibus Facultatibus aut olim conferri potuerunt, qualis fuit ante annum 1697. Academia Altorfina, utpote quæ ante eum annum consuetos in Facultate Theologica honores Academicos nulli contulit Candidato; tales sunt nonnullæ aliæ Pontificiorum nostro adhuc tempore, quæ cum ab Ordine aliquo Religioso obtineantur, is Facultatis Juridicæ Medicæque Professores hætenus a communione privilegiorum Cæsareorum exclusit. Dum vero ad ipsam Academiae constitutionem Supremi Magistratus auctoritatem poscimus, Pontificis auctoritatem extra ipsius territorium merito excludimus, quod privilegia Pontificia, extra illius territorium; nequaquam Academiae constitutionem ingrediantur, etsi in antiquioribus quibusdam Acade-

A ;

miis